

CAP. II.

DE QUIBUSDAM DEI ET ECCLESIAE PRAECEPTIS

Clementissimus Pater Novae Legis Sacramenta [ut Unigeniti Filii sui dilecti mortis pretium] per Spiritum Sanctum promulgavit, ita et Ecclesiae Suae, mira dignatione, donavit. Horum ope, voluntas humana adeo originali curatur labe, in gratia firmatur ac restauratur, ut angelicis enutrita dapibus, supernae fortitudinis virtute usque ad verticem montis [unde promissae terrae visione collaetatur] in glorioso Sanctae Crucis signo peregrinationem suam absolvere possit valeatque. Idem, inquam, Pater ac Pastor Aeternus, viam qua exsuli creaturae, per hanc lacrimarum valle incedendum foret, praeceptis suis iam ab antiquo, commonstravit, ac gravissima sanctione firmavit. *Ut mandetis ea filiis vestris custodire et facere et implere universa..., quia non in casum praecepta sunt, sed ut singuli in eis viverent*¹. Haec quoque praecepta Unigenitus eius Filius [de cuius plenitudine omnes nos accepimus] non ad solvenda, sed ad perficienda venisse testatus est, et Ecclesiae Suae Sanctae servare quaecumque ipse mandaverat iussit. Immo ut, vetera interpretans et nova adiciens, leges ac praecepta ferret, quae si a quopiam non servarentur, is tanquam ethnicus ac publicanus habendus, plenitudinem potestatis suae Sanctam in Ecclesiam contulit. Hac triplici quidem eademque divina auctoritate, veneranda illa ac sacrosancta mandata fulciuntur, quae in caliginoso hoc itinere, ut lucernae pedibus nostris collucescunt, donec in cordibus nostris lucifer exoriatur, et lex in dilectione aeterna plenitudinem accipiat.

¹ Deuter. XXX, 46.

Articulus I.

DE QUIBUSDAM DECALOGI PRAECEPTIS.

§ I. — De Primo Decalogi praecepto, seu de *Dei adoratione*.

SUMMAE RERUM. — 418. Animadversiones praeviae. — 419. De superstitionibus et ad illas eradicandas pastoralibus industriis. — 420. De hypnotismo ac spiritismo, et quae in re dogmatum ac morum theologiae praecepta sint. — 421. Quaedam pastoralia monimenta accedunt.

418. — *Ego sum Dominum Deus tuus..., non habebis Deos alienos coram me*¹, Israelitico populo primum, ac novae legis filiis deinde praecepit Deus, qui, quamvis hominum haud indigeat cultu, attamen de illo perquam sollicitum se praebet, et ne quod Ei impendere ipsi debent, aliis spuriisque Diis praestent, iure meritoque, iubet. — Huius praecepti affirmativa ac negativa ratio ita sumi potest:

a) Affirmative, religionis virtutis actus, in primis, ipsum praescribit, scilicet:

I. Internos: devotio ac oratio, de quibus pluries diximus, et si quae recolenda supersunt, per reliquum tractationis cursum innuemus.

II. Externos: adoratio, sacrificium, primitiarum, donorum ac decimarum oblatio, votum, iuramentum, adiuratio, laus, quibus [aliqua saltem ratione] et festorum sanctificatio, necnon sacramentorum usus accedunt.

b) Negative, actus virtuti religionis oppositis prohibentur, qui [paucis] in idolatriam, divinationem, vanam observantiam, tentationem Dei, periurium, in promissis infidelitatem, blasphemias, sacrilegium, simoniam revocantur. Alterum ac tertium superstitionem illam constituunt de qua tantum, [ne moralium rerum cultorum provinciam invadamus] nobis in praesenti dicendum.

419. — Ea imbecillis humanae naturae miserrima condicio est, ut temporibus omnibus, et [ut ita dicam] in praesertim magnae incredulitatis nostris, quam fidem ac obedientiam Deo Ecclesiaeque homines aspernantur, nullo negotio, sagis, hystrionibus sannisque praestent. Pronum, enim, est genus humanum superstitionibus, quibus tum praeterita, tum

¹ Exod. XX, 3.

praesentia ac, praesertim, futura tentans, proprio consulere bono, omnino inepte, satagit¹. Quod si semper damnandum, quam maxime est quum ad haec omnia experienda non prophana tantum media, sed et sacra quoque adhibentur. Tunc sacramenta, sacramentalia, ineptas benedictiones ac orationes [ut plurimum, sub S. Birgittae nomine] sanctorum intercessionibus, defunctorum suffragia, aeternae vitae solatia, quandam pecuniae vim elargientibus, omnino inepte, ne dicam sacrilege, plura vaferrimi pollicentur, qui de religione turpem quaestum facientes, huius sacerdotique bonum nomen, conspurcare conantur. — Aliae [praesertim in pagis] ad thesauros indagandos ac fures rescindendos, divinationes, sortilegia, artes magicas, aliasque fere innumerabiles superstitiones circa pecora, animalia ecc. observant, et ad hoc numismata, reliquiae, *Agnus Dei*, cerea sacra, olea benedicta ecc. in medio proferuntur. — Cum vero haec omnia, tum a captantibus hystrionibus, tum a fidelium ignorantia plurimum dependeant, dum priorum artes Pastor nudat, alterorum inscitiae auxilium ferat. Quapropter, aptis ad rem instructionibus, fideles illuminare conetur, ne ludicris sagis ac damnosis circumscriptoribus ac planis fidem praestando, dum quae in Deum observantia est haud labefactant, neque una cum tempore, et pecuniam terant. — Generatim de novis devotionibus quae, interdum, hinc inde pervagantur, si Ordinarii destituantur adprobatione, adeo quam maxime Pastores confessoresque diffidant, ut ad ipsum statim deferant, cui consulendi ius, potestas ac debitum inest. Per plures, enim, in re semper haberi abusus, adeo in comperto est ut peringratum argumentum tantum innuisse sit satis. Et de hoc alibi.

420. — Sed, ad rem nostram, hisce praesertim in temporibus, alii perquam noxii superstitionis actus, quibus tum fidelium animabus tum eorum corporibus quam maxima afferuntur detrimenta, habentur, qui in hypnotismo, spiritismo, et si quae aliis diabolicis insidiis, continentur. In re, ex dogmatum ac morum theologia² quaedam praelibanda veniunt quae paucis huc redeunt:

I. Daemonem, non solum ultro et sponte [etsi non vocetur] in res humanas influxum exercere variisque modis hominibus nocere, sed etiam, sive explicite, sive implicite ab hominibus vocatum, veluti pacto cum his inito, varios producere effectus, certum est. — Insuper etiamnum iniquos haberi homines qui, daemonis ope, occulta manifestant, et insolita opera efficiunt nullum dubium est.

II. Spirituum cum hominibus commercium, permittente Deo, haberi posse certum est; quo fit ut haud omnes quae in re, hinc inde, habentur manifestationes,

¹ Cfr. *Deuteron.* XVIII, 9-12: *Levitic.* XX, 6: Id. 27.

² Cfr. Noldin, *de Praeceptis Dei et Ecclesiae*, n. 148 et seq.; Antonelli, *Medicina Pastoralis*, Vol. I. P. II, Cap. I-II.

hystrionum fabulas deceptionesque dici possint. Qui, igitur, hoc tenent, oppido se falli, omnino persuasum habeant¹.

III. Tabularum rotantium *consultationem*, etsi de rebus mere indifferentibus agatur, et experimenti tantum causa fiat, illicitam omnino esse, consentiunt omnes.

IV. Quoad simplicem earum *rotationem absque consultatione*, duplex habetur sententia, quarum prima eam permittit, prohibet vera altera. Rationes autem ad rem theologiae morum cultores dicent.

V. In praxi, contra daemonis influxum, protestatione praemissa, rotatio simplex, per se permitti potest. Sed adverte quaeso:

a) Quum harum *rotationis* tabularum scopus, earum *consultationem* fere semper comitetur, e prima ad alteram facilem esse transitum patet: daemon, enim, ut ad superstitionem inducat, naturali experimento utitur. Sed ex eo quod *consultatio* diabolica est, et *rotationem* [quae ab illa distincta et independens est, et quae, valde probabiliter, naturae mere electricis vel magneticis viribus produci potest], pariter daemone tribuendam esse non sequitur.

b) Ab huiusmodi tamen experimentis, etsi naturae producantur viribus, nisi de his explorandis agatur, cum res non careat periculo, fideles arcendi sunt. Daemon, enim, libenter hisce sese admiscere rebus, ut ad illicitam divinationem impellat, exploratum est.

VI. Magnetismo animali, seu mesmerismo [quod nil nisi novam infirmos curandi artem primum significabat, sed, lapsu temporis, in diabolicam superstitionem degeneravit] ut plurimum *uti medendi ars* eius in loco hypnotismum, et *uti nova superstitio*, spiritismus successit. Primo in adjuncto magnetismus animalis sub certis conditionibus debitisque cum cautelis licite adhiberi potest²; sed ad magnetismum degeneratum quod refert, plura S. Officii responsa habentur³, quibus, quia novum quoddam superstitionis genus ex magneticis phaenomenis invehitur, eius usus omnino prohibetur.

VII. Spiritismus [prout hic consideratur] communicandi cum spiritibus eorumque ope, occulta cognoscendi ars est. Communibus in adiunctis, occultarum rerum revelationes a personis quae *medii* vocantur pendent, quae dum spiritus iis utuntur, artificiali somno seu hypnosi occupantur.

VIII. Spiritismi phaenomena, uti foedissima magia et superstitiosa necromantia, quae non causae naturali, sed praeternaturali eique intellectuali referri debent, malo spiritui, daemone nimirum tribuenda sunt. Quod et ex responsis ab his datis confirmatur, quae multa vana atque inepta, immo etiam impia et catholicae fidei adversa continent. Ergo:

a) *Spiritica experimenta instituere numquam licet*⁴, etsi conventio cum daemone excludatur et cum bono tantum spiritu commercium instituat. Eiusmodi, enim, protestatione, commercium cum daemone [quod in ipsa spirituum consultatione continetur] removeri nequit.

b) *Tamquam medium spiritisticis inservire experimentis non licet*. Quamvis, enim, non malos, sed bonos advocare spiritus spiritistae existiment, attamen reipsa non nisi malos invocant, quo genuinam magiam exercent.

¹ Cfr. Lapponi, *Ipnatismo e Spiritismo*, Roma, 1897; Wieser, *Der Spiritismus und das Christentum*, Innsbruck, 1881.

² S. Offic. 23 jun. 1840, 24 jul. 1847.

³ Id. 21 april. 1841, 30 jul. 1856.

⁴ Id. 30 mart. 1898.

c) *Tanquam spectatorem hisce spiritisticis interesse experimentis non licet.* Enimvero, etsi spiritismi approbatio excludatur, attamen scandalum ac cooperatio semper habentur. Si quis vero *semel* aut *iterum*, gravi scandalo periculo *excepto*, huiusmodi experimentis intersit, non peccat graviter; et si artificiosum tantum deceptorem spiritistam esse moraliter constet, *excepto* scandalo, spectaculo interesse licet.

IX) Hypnotismus:

1) active idem est ac artem producendi in alio somnum et peculiaris phaenomena cum eodem connexa:

2) passive significat complexus phaenomenorum, quae, hypnotico perdurante somno, habentur. Ad rem:

A) Hypnotismus per se illicitum est: nam hypnotismum in statu hypnosis:

a) adeo sanitati nocet, ut saepissime sive mentis, sive corporis valetudo ab eo grave detrimentum patitur: systema, enim, nerveum, plus minusve, hypnosi afficitur.

b) Adversatur, per se, naturali honestati idque multipliciter, scilicet:

1) iusta absque de causa, modo violento, rationis usu se privare, non licet;

2) voluntatem suam alieno arbitrio adeo plane subiicere ut quis alterius voluntate pro lubitu uti atque abuti possit, non licet;

3) peccandi occasionem alteri praebere, non licet; hypnotizans, enim, persona hypnotizata ad peccandum abuti, cordis secreta ei indagare, criminis persuasionem et similia ei suggerere potest:

4) hypnotizans committendum crimen hypnotizato suggere potest, quod ipse in statu vigiliae, vix servata libertate, committet.

B) Ad morbos curandos [et ad scientiam provehendam] *certis sub conditionibus*, licite hypnotismus adhiberi posse videtur. Condiciones vero sunt¹:

a) Ut sanitatis detrimentum, in quantum fieri potest, praecaveatur; ideoque a medico in hac arte perito tantum hypnotismus exerceatur.

b) Ut aliud recuperandae salutis aptius medium non supersit. Cum, enim, hypnotismus ex se periculosus sit, nisi ad maius excludendum malum quam illud quod hypnotismus inducere potest, licite adhiberi nequit.

c) Ut protestatio fiat contra influxum mali daemonis.

d) Ut potestate quam in hypnotizati voluntatem exercere potest, hypnotizantem ab usurum non esse certo constet. Neque, enim, etsi ad breve tempus, voluntatem suam alieno submittere arbitrio licet, nisi cuiusvis abusus periculum exclusum esse constet.

e) Ut infirmi consensus adsit, qui si desit, citra iniuriam, nec rationis usus et liberi arbitrii privari, nec valetudinis periculo exponi potest.

C) An et ad naturae explorandas vires personae hypnotizatae consensu supposito, et ad fines scientificos hypnotismus uti possit, controvertitur².

421. — Hisce positis, quae spiritismi et hypnotismi cultoribus praestare Parochus possit debeatque haud difficile dictu. Igitur:

a) Uti confessarius, tum ex mox recensitis principiis, tum ex his quae de consuetudinariis et recidivis alibi diximus³, eius agendi

¹ S. Offic. 26 jul. 1899.

² Cfr. contra Ballerini, Palmieri, Villada, Bucceroni, Aertnys, Marc, Capell-

man, in *cit. oper.*; pro Berardi, Genicot, Lehmkuhl, D'Annibale, *ibid.*

³ Cfr., pag. 329.

ratio facile desumi potest. Si vero in re aliquod dubium extet, rerum moralium cultores dicent.

b) Uti Pastor, vero, ut suo a grege hanc hodiernam pestem, modis omnibus, eradicare contendat, numquam satius suadebitur. Enimvero non pravae tantum apud homines, sed, non raro, etiam in probis et praesertim in feminei sexus personis, spiritismi lue[m] [fere ubique et peculiari ratione in magnis civitatibus] misero in modo grassari, omnibus in comperto est. In quantum, igitur, prudentia sinit et circumstantiae ferunt, tum in suis ad populum concionibus ac catechesibus, tum privatim, tantum adversus malum adeo sedulo Parochus certet, ut spiritismi *circuli* vel consociationes sua in paroecia existentes, dissolvantur, ac spiritisticae ephemerides per suos fideles ne vagentur. — Quum vero, quotidiana experientia teste, qui huic inserviunt superstitioni fere incurabiles sint, immo [utpote non materiae, sed spiritui inservientes] et coeteris perfectiores se teneant edictitentque, si aliquid saltem obtineret Pastor, multum sese assequutum esse pro certo sciat. Pervicacia ac contumacia [si ita loqui fas est] peculiare spiritismi cultorum notae sunt, quibus, saepissime, et arrogantia paulatim comitari consuevit. Numquam satis dolenda, at genuina nostrorum temporum condicio haec est, cui, in quantum licet, consulere Bonum Pastorem decet, quo et Ecclesiae placitis ipse parebit¹.

c) Si, tandem, de quibusdam apparitionibus [?] vel similibus suo in grege rumor insurgeret, adeo perquam prudenter se habeat Pastor, ut donec rem apte dignoscat, in alterutram ne declinet partem. Ne vero his et similibus facile fidem praestet, numquam satis suadebitur: quae vulgi [ad novitates semper proni] mores sint, et quae hysterismus² ac pseudopiarum feminarum phantasia ignere possunt, utraque noscentes amplissime docent. Temporibus vero nostris, ad de sanctis rebus suspicionem in christianorum animis invehendam, et his hallucinationibus ac falsis apparitionibus perversos uti homines, in comperto est. — Si, tandem, de peculiari momenti re agatur, eventus cursum ac personarum in eo implicatarum probitatem sedulo disquirat Pastor, ac de omnibus fideliter Ordinarium doceat, a quo sequendam sententiam expectet. Totus, enim, mundus versutissimis ac infinitis paene laqueis refertus est!

¹ Cfr. Concil. Lateran. V, Sess. I: Ioann. XXII, *Super illius specula*, 1326; Leo X, *Honestum* 1521; Adrian. VI, *Dudum*, 1522; Innocent. VIII, *Summi*, 1484; Sistus V, *Coeli et terrae*, 1585; Gregorius XV, *Omnipotentis*, 1623, SS. D. N. Pius

PP. X, encycl. *Pascendi* cit. ad VI et complurima S. Offic. decreta ab Ojetti in *op. cit.*, ad verb. *Spiritismus* ac *Hypnotismus* relata.

² Cfr. indic. alphabetic. *Hysterismus*.

§ II. — De altero decalogi praecepto, seu de *divini nominis usurpatione ac blasphemia.*

SUMMAE RERUM. — 422. Animadversiones praeviae. — 423. De divini nominis usurpatione juxta theologiam morum et pastorales sollicitudines. — 424. De blasphemia atque in re juxta easdem principia ac praxis. — 425. Quae ad illam compescendam extirpandamque Pastori suaderi possint.

422. — *Non assumes nomen Dei tui in vanum*¹, secundo in loco Legislator Aeternus solemniter praecipisse legitur: cum, enim, Sanctissimi nomen extet, ut semper in fidelium corde sit, at raro ac devote tantum in eorum ore labiisque resonet, omnino decet. Qua in re dupliciter peccari potest, nempe, per divini nominis vanam assumptionem seu usurpationem, ac per Eius contumeliosam appellationem, seu blasphemiam.

423. — Quoad vanam Divini Nominis assumptionem spectat, theologiae morum principia² praestituere iuvabit, quae huc redeunt:

I) Qui, debita absque reverentia, Dei nomine utitur, divinum illud usurpasse dicitur, quod tum ex impatientia ac indignatione, tum ex admiratione ac mera consuetudine contingere potest. Proportione servata, de Sanctorum et sacrarum rerum nominum usurpatione haud secus dicendum est: Sanctis, enim, vel rebus sacratis irrogata irrivrentia, in Deum ipsum redundat. Quamvis, insuper, frequenter ac inutiliter daemoneis usurpare nomen peccatum non sit, attamen uti valde indecens haberi semper debet. Infensissimi, enim, Dei ac fidelium inimici nomen, christianorum in ore dedecet.

II) Vana Dei nominis usurpatione, dummodo gravem non contineat contumeliam, irrivrentiam non inferendo, contra virtutem religionis veniale tantum peccatum est. Quapropter qui ad singula paene verba, ad iocos ac huiusmodi, Sanctissima proferret Nomina, venialiter tantum peccare certum est; quod si quis inadvertenter praestaret, neque hoc committeret. Attamen non reverentia tantum Deo. Sanctis rebusque sacris debita, sed immo et urbanitas ipsa, hanc loquendi rationem omnino dissuadet. Enimvero complurimae aliae innocuae interiectiones exclamationesque habentur, quibus uti melius, profecto, erit.

424. — Blasphemiae peccatum quam grave sit, immo et peccata inter maximum, quo Deus directe impetitur et sanctum terribileque Eius nomen dehonatur, nemini ignorare licet. Quapropter delictum istud pessimum, Veteri in Lege, morte punitum fuisse, dicente Deo: *Qui blasphemabit nomen Domini, morte moriatur*³, nil mirum. Unde, iure meritoque, blasphemiae peccatum ad idem genus cum infidelitate pertinere ipsamque aggravare, et omnibus qui suorum peccatorum poenam

¹ Exod. XX. 7 - Cfr. Deut. V, 11.

³ Levitic. XXIV, 16.

² Cfr. Noldin. *Op. cit.* n. 202 et seq.

apud inferos luunt commune esse, Angelicus Doctor dicit¹. — At antequam ad quaedam pastoralia indigitanda media accedamus, heic quoque prima theologiae morum² in re principia audiantur:

I) Blasphemiam, ex communi usu, *locutionem in Deum iniuriosam* significat.

1) Ratione sensus verborum prout haeresim, imprecationem, aut merum probrum continet, in *haereticalem, imprecativam et probrosam* dispescitur.

2) Ratione obiecti seu termini, prout Deum in se inhonorat, vel ipsum in creaturis quae specialem rationem ad Ipsum habent dehonatur, imediata ac mediata dicitur;

3) Ratione intentionis, prout fit cum intentione inhonorandi Deum, vel, quamvis hac seposita, attamen cum in verbis et factis contineri Dei contemptum advertentia fit, in *directam* seu *diabolicam*, et *indirectam* dispesci potest.

4) Tandem, prout verbis factisve blasphemia committitur, in *verbalem* et *realem* dividi solet.

II) Quot modis committatur blasphemia, sic accipe:

1) Si aliquid quod Deo repugnet, Ei tribuatur;

2) Si quod soli Deo convenit, creaturae donetur;

3) Si vera quidem de Deo dicantur, sed irreverenter et cum contemptu proferantur.

4) Si cum contra Deum ira, divinae vel sacrae res nominentur, vel si, contemptibili addito nomine, eadem proferantur.

5) Si contumeliosa verba in B. Virginem vel in Sanctos, quatenus Sancti ac Dei amici sunt, dicantur.

III) Condiciones ad blasphemiam requisitae sunt:

1) Ad blasphemiam advertentia. Itaque:

a) Si quis ira ac indignatione motus, in homines vel iumenta, verba vel Sancta Dei Nomina inhonoratorem continentia proferat, potiusquam blasphemare, Dei vel rerum sacrarum nomina usurparet; quo fit ut, dummodo indignatio in Deum non feratur, venialiter tantum peccet. Sed, propter conscientiam erroneam graviter peccare posse, animadvertendum est.

b) Qui, ex mera indignatione, in homines vel iumenta genuina blasphemiae verba profert, quin ad Dei iniuriam vel inhonoratorem attendat, formalem blasphemiam non patrat. Plerumque, tamen, quae inadvertenter blasphemiae proferuntur, tales ex consuetudine fiunt, et ex pravo blasphemandi more blasphemiae peccatum quale sit in comperto est.

c) Qui, igitur, in ira ac indignatione, sive ad primam commonstrandam, sive ad filios terrendos, sive ad bestias stimulandas, blasphemiae verba scienter profert, quamvis non cum animo inhonorandi Deum, sed ad irreverentiam quae illis verbis continetur advertens, blasphemiae peccatum committit.

2) Quoad blasphemiae verba, ut blasphemias loquutiones a caeteris quae tales non sunt discerni possint, sequentes normae prae oculis habeantur, nimirum:

a) Blasphemia censetur verba quae ex sua propria significatione, vel ex communi acceptione, vel ex modo quo proferuntur [e. g. ironice, vel cum contemptu] Dei inhonoratorem continent. Qua in re locorum consuetudinibus pluri-

¹ Iae, IIae, 9, XIII, artic. 3 et 4.

² Cfr. Noldin, *Op. cit.* n. 202 et seq.

mum attendendum est. Quaedam, enimvero, verba quae ex se blasphema non sunt, ex communi aestimatione tales ac graves fieri possunt.

b) Locutiones incompletum sensum habentes, ac corrupta ac dimidiata verba, nisi quadam in regione, ex communi apprehensione, contumeliosa habeantur, blasphemiae non sunt.

c) In dubio de significatione verborum, ad intentionem ac affectum loquentis attendendum est, et stante dubio, uti blasphema haud habenda sunt. Enimvero, in peccatis verborum quo ex affectu aliquis verba proferat, maxime considerandum esse, Angelicus monet Doctor ¹.

425. — Hisce ex principiis qua ratione cum fidelibus se habere debeat Pastor, perspectum est; sed quaedam ad rem pastoralia monumenta ac adiumenta ipsi recolenda veniunt, quae sic, paucis, perstringimus:

a) Cum genuina blasphemiam utentibus adeo perquam severe se habeat Pastor ut detestabilem hanc consuetudinem ab ovibus suis evellat eradictaque. Si vero huius locutionis indignitatem ac in Deum irreverentiam hi minime intelligant, quantam fatuitatem, contradictionem ac inurbanitatem haec agendi ratio prodat, ipsis recolat. Nam, vel in Deum ac Sanctos credunt, et tunc digne reverenterque habeantur: si vero minime, ad quid adversus ipsos iniuriam proferunt? Blasphemantium, vero, agendi rationem in communi humano consortio, uti animi inurbanitatem haberi in comperto est.

b) Repetita saepe concione, quam grave istud decalogi praeceptum sit, concreditum sibi gregem Pastores edoceat: quam sedulo vel levis blasphemiae aut ad ipsam accedentia verba devitanda sint, quamque in hac materia a veniale ad mortale lubricum iter sit, eos commoneat.

c) Ut Parentes, sibimetipsis invigilando, adeo ori suo custodiam ponant ut in blasphemiae verba numquam declinent, et liberos, domesticos, omnemque familiam in christiana semper verborum honestate contineant, vividius hortentur Pastores. — Si quem vero ex famulis huic vitio indulgere compererint, si, postquam una alterave vice admoniti fuerint haud emendentur, eos dimittere oportet, quo, forsan, efficacius ad emendationem pertrahentur. Tandem et ad invicem correctionem fidelibus suadere, ad huius vitii eradicationem plurimum confert.

d) Pias Sodalitates illas ad blasphemias compescendas ac reparandas, nostris temporibus, aliquibus in locis statutas ac copiosissimis indulgentiis ditatas et sua in paroecia erigendas Pastores curent, quo facilius hanc pestem ab ea evellere valebunt ¹.

¹ II, IIIae 9, LXXII, n. 2.

15 august. 1901, 15 august. 1902, 4 nov.

² Cfr. Deliberat. *Episcoporum Longobard.* 1902, et *Eorum. epist.* 15 jun. 1899,

§ III. — De tertio decalogi praecepto, seu *sanctificatione festorum.*

SUMMAE RERUM. — 426. Animadversiones praeviae. — 427. De dierum festorum sanctificatione. — 428. Quae quoad dies festos ac missam audiendam theologiae moralis ac nuperrimae SS. D. N. Pii PP. X canonum ac liturgiae leges sint. — 429. Quoad opera servilia attinet quae morum theologiae praecepta sint. — 430. Ad festorum dierum sanctificationem obtinendam quae Pastori suaderi possint.

426. — Deus, qui homini in creaturas imperium dedit, ne officia erga Creatorem exercenda oblivioni daret, ac ut supremum rerum omnium Conditorem et Moderatorem religiosissime coleret, et venerationem quam in animo gerit, externis signis, ostenderet, dum diem septimum benedicebat illumque sanctificabat [quia in ipso cessaverat ab opere quod patrarat] unum, speciali modo, diem constituit. Postea, vero, celeberrima lege praecipit: *Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex dies operaberis et facies communia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est; non facies omne opus in eo* ¹. — Praeceptum quod vetere in lege stricte observabatur, Christus Dominus, quoad substantiam, confirmavit, et, Divino afflante Numine, ita commutarunt Apostoli ut, sabbati loco, primus hebdomadae sanctificaretur dies, in memoriam gloriosissimae Dominicae Resurrectionis, qui cum Domini sit dictus, vel a primis Ecclesiae temporibus, dominicus dies appellatus est. — Sancta, insuper, Ecclesia, Divino afflante Spiritu, ut divinorum beneficiorum memoria pie sancteque coleretur, alios quoque festos dies instituit.

427. — Festorum sanctificationis praeceptum, religiosissime colere plurimum fidelibus refert. Precibus, enim, Dei maiestatem contemplamur et cum eo alloquimur; praedicationis voce quae ad legem Domini ex toto corde custodiendam nos impellit, divinas iustificationes accipimus; missae sacrificio praesentem Christum adoramus, Passionis memoriam recolimus, et, caritate incensi, ad legis iussa servanda facilius adducimur. Ne dicam de periucundis quae ab operibus servilibus abstinentia, tum fidelibus sanitati, tum familiae societatique universae, etiam in temporalibus, proveniunt adiumentis, de quibus rerum socialium cultores disserunt. — In re fidelium obligationes in positivas ac negativas dispescuntur, nimirum in missae adsistentiam et ab operibus servilibus abstinentiam, de quibus per partes agendum.

¹ *Exod.* XX, 8.